



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreuiatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XXVIII. De Sepulturis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

ligationem Justitiæ, aliàs pacto valido propriam; cum omne juramentum, quod non vergit in præjudicium tertii, & dispendium salutis æternæ, servari debeat ex virtute Religionis. *c. 28. de Jurejur. c. 2. de pact. in 6.* Cæterum quamvis in *l. 61. ff. de V. O. & l. fin. cit.* hujusmodi pacta dicantur esse *contra bonos mores*, & præbere ansam optandi mortem alienam, indè tamen non sequitur, quòd sint contra Jus Naturale; quia tantum sunt contra bonos mores Civiles, seu contra Jus Civile, non contra Jus Naturale, aliàs nec consuetudine possent subsistere aut statutò. Neque præbent ansam captandæ mortis alienæ proximam, & per se, sed solùm remotam & per accidens, atque ex malita hominum accidentali.

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

SUMMARIUM.

1. *Quit sit sepultura Sacra.*
2. 3. *Quinam eâ gaudeant, vel non.*
4. *Ubi fideles sint sepeliendi.*
5. *Quæ sint jura Parochi circa sepulturam.*

Sepultura, nimirum *sacra*, in nostro Jure tripliciter accipitur. 1. Pro jure sepeliendi corpora mortuorum. 2. Pro actu seu officio, quod in sepeliendis corporibus impenditur. 3. Pro loco ipso, ubi illa sepeliuntur. Et in hoc sensu definitur esse locus religio-

giosus, auctoritate Episcopi deputatus ad tumulanda fidelium piè decedentium corpora. per *c. 3. h. t. & c. 4. de Relig. dom.* uti est cœmeterium, quod debet esse benedictum, vel Ecclesia. Neque inferior Episcopò Prælatus, nisi jurisdictione quasi-Episcopali sit præditus, jus sepulturæ tribuere, & ad sepeliendos fideles locum deputare potest. per *c. 4. cit.* Si tamen Papa quibusdam concedit privilegium tale, sicut Ordini Prædicatorum S. Dominici, & Minorum S. Francisci, concessit in suis Ecclesiis & cœmeteriis privilegium sepeliendi quoscunque fideles. *Clem. 2. & Extrav. 2. int. Comm. h. t.* (quod alii quoque Religiosi per communicationem participant. *Molin. tr. 2. d. 214. n. 21.*) utique Episcopi auctoritate opus non est.

- 2 Dico I. Sepulturâ sacrâ gaudent, seu in loco sacro sepeliri debent, omnes & soli fideles, qui piè & christianè moriuntur. *can. 28. caus. 13. q. 2. c. 11. h. t. Dixi I. & soli fideles,* quare non-Christiani, uti Gentiles, Pagani, Turcæ, Judæi, ita excluduntur, ut non tantùm sine peccato mortali, & pœna excommunicationis in loco sacro sepeliri nequeant, sed etiam, si sepeliantur, rursus exhumandi sint, & cœmeterium vel Ecclesia censeatur polluta, ac reconciliatione indigeat. *can. 27. 28. d. 1. de Consecr.* Idem tene de Hæreticis & excommunicatis non toleratis. *c. 12. & Clem. 1. h. t. c. 7. de Consecr. Eccl. vel altar. c. 2. de hæret. in 6.* Infantes Christianorum ante Baptismum, saltem dubium, extincti non in loco sacro, sed propè illum, sepeliri debent ac solent, nisi in utero matris extincti sepeliantur cum demortua matre. *Dixi 2. Qui*

piè

piè & Christianè moriuntur; siquidem & Catho-
 lici generatim omnes privandi sunt sepulturâ sa-
 crâ, qui in peccato mortali notorio decefferunt,
 v. g. in actuali furto, vel adulterio &c. occisi. *can.*
16. 19. 21. caus. 13. q. 2. Atqui in specie 1. Ex-
 communicati, probabiliter etiam tolerati. 2. No-
 minatim interdicti. 3. Usurarii manifesti. 4. Ra-
 ptores seu violatores Ecclesiarum, ac incendiarii.
 5. Qui decimas non solverunt. 6. Religiosi pro-
 prietarii, seu retinentes peculium sine licentia
 Superioris. 7. Qui per totum annum omiserunt
 Confessionem Sacramentalem & Communionem
 Paschalem. 8. Maledici, seu blasphemi. 9. Sui-
 cidæ, seu qui se ipsos sponte occiderunt ex despe-
 ratione, iracundia, vel simili passione: non verò,
 si id fecerunt mente moti, vel semifatui, propter
 nimiam tristitiam &c. sibi non satis præsentis. In
 dubio, an quis sanæ mentis fuerit, an sibi ipsi vim
 intulerit, vel casu aut ab alio interemptus sit, debet
 præsumi benignius: stante tamen hujusmodi du-
 bio expedit talem clam & nocte in loco sacro se-
 pelire ad cavendam populi offensionem. 10.
 Qui in torneamentis, hastiludiis, per se conjun-
 ctis cum probabili vitæ periculo, occisi sunt. 11.
 Qui formaliter duellantes in loco conflictûs obi-
 erunt. Communis ex variis canonibus. Circa
 quos notandum, quòd delictum debeat satis esse
 & publicè notum, atque ante obitum non appa-
 ruerit signum pœnitentiæ (quod tamen apud du-
 ellantes probabiliùs non sufficit) &, ubi Justitia
 exigit, satisfactio parti læsæ non sit facta, saltem
 per cautionem sufficientem. Dein adverte, quòd
 ossa illicitè sepulorum, si ab aliorum fidelium
 ossi-

offibus vel corporibus discerni possint, exhumanda & procul abjicienda sint. per *c. 12. cit.*

- 3 *Objic.* 1. Vidimus nuper durante bello hæreticos, qui in terris Catholicis obierunt, in cœmeteriis Catholicorum quandoque sepultos fuisse. Imò Cæsar & Status Catholici in penultimo bello Turcico hæreticos, suppetias alioquin negaturis, promiserunt sepulturam sacram. Ergo non est illicitum hæreticos toleratos sepelire in loco sacro. 2. Licitum est communicare cum excommunicatis toleratis adhuc viventibus: ergo etiam cum mortuis indulgendo ipsis sepulturam sacram. 3. Etiam affectis ultimò supplicio negatur sepultura sacra, licet pœnitentes sint mortui: ergo. *R.* ad 1. *C. antec. N. conf.* In nupero bello in quibusdam urbibus, ubi dominabantur Præfidia Acatholica, Parochi fuerunt compulsi per metum gravis incommodi, ac in bello penultimo Turcico Status Catholici per metum, ne sibi ab Hæreticis negarentur suppetiæ adeò necessariæ pro bono publico, id concesserunt. Et hinc Ecclesia tanquam pia mater, per suas leges non obligant cum periculo gravis incommodi, privati aut publici, pro his circumstantiis rectè credebatur non urgere observationem suarum legum, præsertim cum hæretici sepulturam suorum in loco sacro non in contemptum Ecclesiæ, sed præcisè petierint ut honorem politicum. Unde Ecclesia etiam tolerat consuetudinem, vi cuius, ubi hæretici vivunt Catholicis immixti, in cœmeteriis & Ecclesiis, quas habent communes, tumulentur utrique, ac ut hæretici inferantur sepulchris majorum suorum Catholicorum. Ad 2. iterum

quasi, sepeliendus est in ea, in qua decessit, si in neutra decessit, deferendus est ad illam, in qua solitus est percipere Sacramenta, & interesse Divinis officiis, si autem in neutra hoc solitum est facere, datur locus præventioni, vel portatur funus ad illam, ad quam commodius transferri potest arbitriò amicorum. Pars 2. sumitur ex *c. 7. h. t.* quia electio sepulturæ se habet instar ultimæ voluntatis. Et hinc ista electio competit omnibus, qui per ultimam voluntatem possunt disponere in ordine ad spiritualia. *c. 1. x. & c. 1. 2. 3. 4. h. t. in 6.* Religiosis, quia proprium velle & nolle non habent, non competit, nisi procul à suo Monasterio decedant, vel possideant Beneficium Ecclesiasticum extra Monasterium: Prælati tamen, Abbatibus, Provincialibus, Rectoribus, Quardanis non negatur, modò habeant rationabilem causam eligendi, & caveant bonæ opinionis suorum domiciliorum. *text. & gl. in c. fin. eod. in 6.* Licet autem quilibet sibi possit eligere sepulturam extra parochialem Ecclesiam, Religiosis tamen & Clericis sub excommunicatione reservatum est, ne aliquem inducant ad venerandum, jurandum, vel simpliciter promittendum, ut neglecta parochiali sepulturam eligat in suis Ecclesiis vel cæmeteriis effectu secuto, vel ut pro suis Ecclesiis semel electam non amplius mutet. *c. 1. h. t. in 6. Clem. 3. in f. de penis.* Pars 3. ex *c. 1. x. & c. 3. h. t. in 6.* quia defunctus tacite censetur elegisse sepulturam à Majoribus suis electam, & sibi paratam, si voluntatem contrariam non declaravit. Excipitur uxor, quæ, si ipsa non elegit sepulturam, licet elegerint ejus

Majo-

Majores, tumulanda est in sepultura mariti præmortui, & quidem, si plures habuit, ultimi, licet iste extra Parochiam sepultus sit, *can. 2. 3. caus. 13. q. 2. c. 3. cit.* cùm deceat, mulierem sequi virum suum tanquam caput. Pars 4. ex resolutione S. Congreg. 2. Jul. 1620. quam allegant Donat. & Barbof. *de off. & pot. Paroch. c. 26. n. 68.*

Quæres, an & quid Parochialis Ecclesia, vel potius Parochus, prætere posse casu, quo Parochianus (vel ejus Majores) alibi elegit sepulturam, & tumulatur? Item quid juris competat eidem adversus eum, qui alienum parochianum, qui nullam elegit sepulturam, nec habuit electam à Majoribus, sepelivit in sua Ecclesia vel cæmeterio? *¶ ad I. De Jure prætere potest portionem Canoniam parochialem ab illa Ecclesia, in qua sepelitur, ex illis bonis, quæ intuitu funeris obveniunt illi Ecclesiæ, qualia sunt legata, oblationes &c. & funeraria, vel mortuaria appellantur. c. 1. seqq. h. t. Clem. 2. v. verum. cit.* Quæ portio ferè est quarta pars eorum, quæ ratione funeris & per ultimam voluntatem defuncti (exceptis tamen, quæ pro fabrica, vel ornamentis, & ad perpetuum DEI cultum legantur) tali Ecclesiæ obveniunt, & à Tridentino *§. 25. c. 13. de res. vocatur quarta funeralium.* Sed ab hac portione Parocho reddenda per privilegium absolvit Summus Pontifex Monasteria Dominicanorum & Franciscanorum aliorumque Mendicantium Ordinum. Imò consuetudo eam in nostris partibus penitus abrogasse videtur. Interim tamen censeo, præsertim in locis, ubi illa per consuetudinem abrogata est,

Spectato Jure fas esse Parocho petere, ut con-
 fuerat exequiæ & officia funebria pro tali paro-
 chiano alibi sepulto apud se celebrentur. Ratio
 quia certum ex una parte est, quòd de Jure qui-
 libet sepeliendus sit in sua parochia: ergo pari-
 ter certum est, quòd Ecclesiæ parochiali compe-
 rat jus celebrandi exequias & officia funebria, et
 jure sepeliendi resultans: ergo hoc jus celebrandi
 exequias tamdiu asserendum est Ecclesiæ paro-
 chiali, quamdiu non probatur id ei esse ademp-
 tum: atqui per hoc, quod parochianis concessum
 sit eligere sepulturam alibi, & in Ecclesiis non pa-
 rochianis indultum jus sepulturæ, Ecclesiæ paro-
 chiali non est ademptum jus funerandi & ex-
 equias celebrandi, utpote distinctum ab illo; præ-
 fertim cum privilegia, quæ adversantur Juri
 Communi, & privatorum, sint restringenda, imò
 Jus ipsum *c. 9. h. t.* & Pontifices in suis Bullis,
 ubi indulgent eligi sepulturam extra parochiam,
 v. g. in Monasteriis, expressè addant hanc clau-
 sulam, *salvâ justitiâ Ecclesiarum, à quibus mor-
 tuorum corpora assumuntur*, h. e. salvo jure Pa-
 rochialium Ecclesiarum, ut passim explicant Cano-
 nistæ.

Objic. 1. Libertas sepulturæ, Regularibus in-
 dulta, ut ait P. Reiffenstuel *h. t. n. 38.* nimium læ-
 deretur, si hæredes cogi possent ad duplicanda
 officia & Missas; sic enim fideles absterrerentur ab
 electione sepulturæ apud Regulares. 2. Id foret
 clara violentia, ut agunt Donatus & Portell, tum
 contra justitiam hæredum defuncti, tum contra ju-
 stitiam libertatis sepulturæ. R. ad 1. & meliori ju-
 re inverto argumentum; jus parochiale funerandi,

di,

di, quod est antiquius privilegiô Regularibus concedente jus sepulturæ, nimum læderetur, si Ecclesiæ parochiales non possent hæredes cogere ad competentes exequias & officia funebria apud se celebranda, quæ tamen onus habuerunt vivis ministrandi spiritualia: dein non assero, duplicari debere, & tot omnino sacra &c. celebrari in Ecclesia parochiali, quot in Ecclesia Regulari, ubi electa est sepultura, celebrantur, sed solum consuetas & defuncti statui convenientes exequias. Ad 2. Est eadem responsio, & negatur assertum; si hæredes, vel defunctus, nolint duplicari exequias, omittant electionem sepulturæ alibi, ad quam non obligantur, bene tamen ad justitiam Ecclesiæ parochiali competentem, seu ad jus funerandi seu exequias celebrandi, ad quas habent Parochi intentionem in Jure fundatam, non lædendum.

¶. Nunc ad 2. quæsitum. Parocho competit jus petendi, ut sibi unâ cum cadavere restituantur omnia, quæ occasione sepulturæ percepta sunt. *c. 5. 6. 10. h. t.* Cadaver tamen ordinariè exhumari vix potest absque scandalo, vel alio incommodo;

& ideo praxi præstat alio modo satisfactionem fieri, & amicabilem compositionem.

